



1. Schrift. =

Hubl zu

K 4^o

Kh 897

zu 00 Lu

u Angelonides



TESTAMENTI 17. 13
SIGNATI ET SVBSCRIPTI
A TESTIBVS IN INVOLVCRO

VIS ET AVCTORITAS

VINDICATA

GEORGIO LVDOVICO
BOEHMERO D.

*Potentissimi Magnae Britanniae Regis a Consiliis et Antecessore
in Academia Georgia Augusta.*



GOTTINGAE,
TYPIS ABRAMI VANDENHOECK,
MDCCXXXVI. 17

TESTAMENTI
SIGNATI ET SUBSCRIPTI
A TESTIBUS IN INVOLUCRO
VIS ET AVCTORITAS

VINDICATA
GEORGIO RUDOLPHO
BOEHMERO D.

Testamentum huius Britanniae Regis a Consilio et Successore
in Academia Georgia signatum.



GÖTTINGAE
P. ALBANI VANDERBOECKI
MDCCLXXXVI





DISSERTATIO
DE TESTAMENTO SVBSCRIPTO
A TESTIBVS ET SIGNATO
IN INVOLVCRO.

I. FIDEI TVENDAE CAVTELA EX TESTIVM
SVBSCRIPTIONE ET OBSIGNATIONE
REPERTA.

LAVDATVR STRABONI *a)* Indarum gens ob simplicitatem et in pactis comentisque seruandis fidem: *nam neque testibus vti, nec sigillis, sed simpliciter credere.* Apud Romanos nihil rarius fuerat, quam *simpliciter credere*, nihil contra solemnus, quem fidem testibus, tabulis, sigillisque sancire. Videlicet ipsa fraudis ratio et fluxa, quam maxima mortalium pars gerit, fides talem exegisse tuendae fidei cautelam videtur, quae non immerito in SENECAE *b)* censuram incidit, qui, *o turpem, inquit, humano generi fraudis ac nequitiae publicae confessio-nem! annulis nostris plus, quam animis creditur? In quid isti viri ornati (testes, ciues Romani) adhibiti sunt? In quid imprimunt signa?*
Nempe

a) Rerum Geograph. Lib. XV. edit. Cassaub. p. 1035.

b) Lib. III. de beneficiis cap. XV.

Nempe ne ille neget accepisse, quod accepit. Sed non in pactis conuentisque modo, sed et in testamentis solemnibus et familiaribus fuerat signorum usus testiumque subscribentium, isque ad eas solemnitates pertinet, a quarum custodia, quamquam circa minima versentur, maximorum tamen saepius bonorum vel adquisitio pendet vel iactura. Non iam animus est integram istam solemnitatis testamentariae, quae in *signandis subscribendisque testamentis* versatur, partem, in qua explicanda CLAVDIVM SALMASIVM non sine industria occupatum fuisse constat, hoc loco excutere: sed cum quaesitum saepius et disputatum sit, in qua tabularum parte vel signare vel subscribere testes oporteat? liceatne etiam in inuolucro? in hac non minus iucunda quam vtili quaestione expedienda virium periculum facere, eamque ita tractare institutum est, ut positus prius, quae ad eam firmandam illustrandamque pertinere videntur, principiis, sententiam nostram exponamus, quid alii, et ex quibus causis senserint, discquiramus, quidue hodiernum obtineat usum, diligenter edisseramus.

II. TESTAMENTA SCRIPTA IN TABVLIS CERATIS, CHARTIS, MEMBRANIS, PVGILLARIBVS
EBVRNEIS, LINTEO.

RECTE atque ordine huic quaestioni euoluendae operam daturum prius nosse oportet, in qua materia scripta sint testamenta, ut de eorum oblatione et subscriptione eo rectius iudicari possit. Varia materia, in qua literas exciperent, usus esse Romanos, eosque non minus in tabulis ceratis, quam in chartis mem-

membranis aliisque conscripſiſſe cuiuſcunq; generis inſtrumenta conſtat. Rem omnem ex vniuerſa rei literariae antiquitate luculenter expoſuerunt IOANNES MABILLONIVS *a)* BERNHARDVS MONTFAUCONIVS *b)* HERMANNVS HVGOLIBRO ſingulari de *prima ſcribendi origine*, et qui non minori doctri-
na ad eum commentatus eſt V. A. CHRIST. HENR. TROTZ, nec non IOANNES CLERICVS *c)* et Doctiſſimus CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHWARZIVS *d)*. In teſtamenti ſcriben-
dis vetuſtiori aevo non niſi ceratas tabulas uſurparunt Romani; quod adeo verum fuerat, vt, verum tabularum nomine chartae membranae venirent, quaestio emergeret, ex aequitate a Ictis
decifa, earum appellatione chartas quoque et membranas contineri *e)*.
Quod enim cuiuſlibet, in qua quiſque materia ſcriberet, fuerat arbitrium, illud nec teſtatori in conſcribendo extremo iudicio adimendum eſſe videbatur: ac proinde nihil intererat, teſtamen-
tum in tabulis an in chartis, membranisque vel in alia materia fieret *f)*.
Vnde VLPIANVS Lib. XXXIX. ad Edictum *g)*, quid per tabulas intelligendum ſit in Edicto praetoris ex ipſius mente et negotii natura explicaturus, *Tabulas teſtamenti*, inquit, *accipere debemus omnem materiae figuram. Sive igitur tabulae ſint lignae, ſive cuiuſcunq; alterius materiae, ſive chartae, ſive membranae ſint, vel ſi*

a) De re diplom. Lib. I. cap. VIII. p. 31. et ſeq.

b) in Palaographia graeca Lib. I. cap. II. p. 13.

c) in diſſ. de ſtylis veterum et diuerſis chartarum generibus, quam vtriuſque theſauri antiquitatum Romanarum, Graecarumque nouis ſupple-

mentis inſeruit IOANNES POLENUS Tom. III. p. 110.

d) in diſſ. de libris plicatilibus veterum et in triplici diſſ. de ornamentis librorum apud vet. uſitatis.

e) PAULUS recept. ſent. Lib. IV. tit. VII. §. 1.

f) §. 12. 1. de teſt. ordinand.

corio alicuius animalis: tabulae recte dicuntur. Vñ Romani sunt tabulis ligneis; iisque vetustissimis: nam cum

Leges incidere ligno,

tum legem heredibus testamento dicere par erat tabulis ligneis, iisque cera molliori inductis, quibus inscribebant. Vnde eleganter TRYPHONIVS *h*) bonorum possessionem *contra lignum* dari asserit, hoc est contra ligneas testamenti tabulas. Vnde et ceræ et ceratæ tabulae in iure nostro pro testamenti tabulis accipiuntur, eoque sensu vltimas ceras vsurpat MARTIALIS *i*).

Nihil Aniano praeter aridam vestem

Moriens reliquit vltimis pater ceris.

Quamquam vero ceratarum tabularum minor post Constantini Magni aetatem fuerit vsus, earum tamen nullum post eius tempora vestigium reperiri, ceu sibi persuaserat SALMASIVS, *k*) iam adprime confutauit ANTONIVS SCHVLTINGIVS, *l*) earumque vsum adhuc Theodosii aetate ostendit, siquidem et earumdem, tamquam rei vsitatae, mentionem sua adhuc aetate iniecit IUSTINIANVS *m*). Frequentior tamen post Constantini aeuum non minus in contractibus scribendis, quam ordinandis testamentis fuit chartæ Aegyptiacæ et membranarum vsus. Addit VLPIANVS et corii alicuius animalis vsum. Sed cum membranas ex pellibus, animalibus detractis, ad scripturam

h) L. I. pr. D. de honorum poss. *secund. tab.*

i) L. 19. D. de honor. poss. *contra tabulas.*

j) Lib. IV. epigr. 26.

k) SALMASIVS de *subscrib. et sign. testamenti* cap. XXIV. p. 270.

cui assensum dedit Celeb. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS in *Diss. de libris plicatilibus aeternum*, §. VI.

l) in *jurispr. Antiquiss.* in not. ad VLPIANI *fragm. tit. XX. p. 27. p. 619.*

m) §. 12. I. de *restram. ordin.*

ram ad commodatas esse constet: difficile illud; quid *ICIO* per
corium animalis; quod a *membranis* distinguit, intelligatur; v-
 trumque enim et alibi *n)* diligenter discernit. Rem difficilem
 expediuisse videtur in lectione veterum Graecorum et Latinorum
 veratissimus *LEO ALLATIVS o)*; cuius verba eam in rem re-
 petere iuuabit. *Membrana*, inquit, *pilis abrasis*, vel *calce*, aut
 alia temperatura amissis, et interiore parte, quae carnem operit,
 in subtilissima folia tenuata, multum a corio differt, quod vti est ab
 animalibus extractum, cum mole illa fungosa, pilis tantum detractis,
 ea parte, qua pilos excussit, literas accipit. Ex corio volumina
 non Italiae tantum, sed Graeciae ac Germaniae bibliothecis, chara-
 cteribus potissimum Hebraicis sine punctis exarata, quae antiquissima
 esse censebantur, conspexi, et attentius consideravi rudem indige-
 stamque molem, ut ita dicam, admiratus. Quod *VLPIANO* est
 in corio animalis, illud *THEOPHILO p)* est ἐν δέμματι in pel-
 libus scribere testamenta. Tandem *VLPIANVS* in qualibet a-
 lia materia scripta esse docet testamenta, cuius rei exemplo ebur-
 neos pugillares, quorum *THEOPHILVS* meminit, nominare
 sufficiat *q)*. Quemadmodum enim res, quae usum familiarem
 et pene quotidianum habebant, pugillaribus, seu tabellis mino-
 ribus, solebant mandari, ita et testamenta; eoque nomine et

ebo-

n) L. 52. D. de legat. III.
o) in animaduersionibus in anti-
 quitatum Etruscarum fragmenta n.
 LXIII. p. 114. cuius sententia proba-
 tur IOANNI MABILLONIO de re
 diplomatica Lib. I. cap. VIII. §. 2. p.
 32. et Celeb. CHRIST. GOTTL.

SCHWARZIO in Dissert. II. de orna-
 mentis librorum apud veteres astitatis
 §. III.

p) in paraphrasi Insit. Lib. II. tit.
 X. §. 12. edit. FABROTTI p. 243.

q) l. c. ibi: ἐν ἐλεφαντίνους πτυ-
 λους in eburneis pugillaribus.

eborei pugillares usurpati; siquidem et eboreorum codicum mentionem VLPPIANVS iniicit r). An vero in *linteo* scribere licuit testamenta? Licuit profecto, siquidem quamlibet materiam, scriptioni aptam, usurpare fas erat. PLINIUS s) *monumenta priuata* linteis confecta esse memorat: libros magistratum linteos LIVIUS t), linteos beneficiorum libros HYGINVS u), epistolam D. Aureliani de Aureliano principe scriptam in Vlpia bibliotheca inter libros linteos se reperisse VORTIUS x) referunt; sacros denique Pontificum libros linteos fuisse ex instituto probauit HENRICVS DODWELLVS y). Non dubitandum ergo, recte in linteo scripta esse testamenta; quemquam eorum mentio in Legibus non iniiciatur, et non nisi testamenta in linteo inuoluta et signata memorentur z).

III. TESTAMENTA PER AES ET LIBRAM NON SIGNATA SEPTEM TESTIVM SIGNIS.

PROGREDIMVR ad tabularum per testes signationem et subscriptionem, cuius originem paucis delibare argumenti ratio fere

r) Vt praetereamus tiliam et philyram, arborum eiusdem nominis tenuiores membranas, quarum meminit VLPPIANUS in L. 52. D. de legat. III. quasue eleganter describit Celeb. SCHWARZ disp. II. de ornament. librorum §. 3.

s) PLIN. in *hist. nat.* Lib. XIII. c. II. inter alia chartarum genera linteos libros memorat et *poslea*, inquit, publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et priuata linteis confici coepta aut ceris. Apposite eam in rem LEO ALLATIUS in animaduers. in antiquitatum Etruscarum fragmenta §. LXIX. p. 126. *Linteii libri atcebantur*, inquit, quia ex linteis erant, in

quibus scribebatur, quemadmodum bac aetate pictiores in eis pingunt; non quia essent ex linteis contritis, itaque maceratis confecti, ex quibus videlicet confici charta nostra solet. Conf. MONTFAUCON in *Palaeograph. graec.* Lib. I. c. II. p. 20.

t) Lib. IV. cap. 7. 20.

u) de limitibus constituendis lib. I. cuius testimonii mentionem facit INOCENTIUS CIRONIVS in *observat. Iuris Canonici* Lib. II. cap. XII.

x) in *vita Aureliani* cap. 11.

y) in *Praelectionibus* Camdensianis in *appendice* p. 654.

z) L. 22. D. qui testam. facere poss.

fere exigere videtur. In vetusto, quod post Leges XII. tab. in-
 uectum est, per aes et libram testamento nulla desiderata testium
 nec obsignatio nec subscriptio. Ut enim sequamur optimum
 huius testamenti interpretem *VLP IANVM a)*, in testamento, quod
 per aes et libram fiebat, duo agebantur, familiae mancipatio et nun-
 cupatio testamenti. Ipsa quae testatorem inter et familiae ac
 pecuniae emtorem intercedebat, familiae mancipatio, non scri-
 ptura solemnī sed conceptis mancipationis formulis ritibusque
 peracta. Aderant quinque testes ciues Romani, puberes, ad
 mancipationis imaginem seruandam. Testium fidem tactis aur-
 iculis obtestabatur antestatus: ritus mancipationis per aes et
 libram celebrandi causa interueniebat libripens. Tum testator,
 ad familiae emtorem locutus, *ego mancupo tibi hanc familiam, quae
 mea est: cui hic aere percutiens libram, familiam eius ex iure
 Quiritium suam esse, eamque sibi emtam hoc aere aeneaque hac libra
 pronuntiabat. Itaque omnia solemnibus mancipationis formu-
 lis ritibusque peracta b)*. Frustra in imaginaria requiris, quas in
 vera mancipatione ignoras testium obsignationem. Sequebatur
 testamento, in quo, quibus legibus bona sua in heredem post
 mortem suam deuolui vellet, testator declarabat, nuncupatio.
*Nuncupatur autem, interprete VLP IANO c), testamentum in hunc
 modum. Tabulas testamenti testator tenens ita dicit: haec vni in his
 tabulis*

a) *Fragm. tit. XX. §. IX.*

b) Omnem testamentariae manci-
 pationis ritum luculenter illustrarunt
 CHRIST. THOMASIVS de sens. leg.
 decemviral. §. XXIV. IO. GOTTL.
 HEINECCIVS de origine testamenti
 facti, §. XXI. in *Opusc.* p. 991. nu-
 merumque septem testium non ex co-

mittis Calatis sed ex mancipationis
 ratione repetendum esse, recte et do-
 cte explicuit ALBERTVS DIEDE-
 RICVS TREKELL in tr. de origine
 ac progressu testamenti factionis cap. III.
 §. XXXI.

c) *VLP IANVS l. c. §. 9.*

tabulis cerisque scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos Quirites testimonium praebite. Non ad subscribendum nec ad obsignandum testibus offerebat tabulas, sed id vnice testes volebat testator, vt voluntatis vltimae rite nuncupatae testimonium perhiberent. Implorati tantum testimonii mentionem iniicit THEODOSIVS Imp. d) his verbis: *ideo veteres testamenta scripta testibus offerebant, oblatarumque eius tabularum perhibere testimonium postulabant.* Ex ipsa igitur testamentificationis per aes et libram ratione patet, quod vere dictum est a TRIBONIANO, iure ciuili testium signa necessaria non fuisse e). Frustra TRIBONIANI sententiam notauit SALMASIVS f), iure ciuili testamentis testium signa imposita esse existimans, hac suae sententiae proposita coniectura, quod nuncupationis testamentariae verba: *in his tabulis cerisue*: cum de interioribus ceris, quas *tabulis*, tum de exterioribus, et quibus signa impressa, quas *ceris* designari diuinatur, accipienda esse arbitratur. Cum cerae tabulis ligneis essent infusae, tabulae ceraeue idem volunt ac ceteratae tabulae. Cur vero vtrumque coniunctum fuerit, eleganter coniecit CORNELIVS VAN BYNCKERSHOECK g) qui *metuenda erat*, inquit, *caprio, si simpliciter tabulis dixissent, quia tabulis inscriptum erat nihil, verum cerae, tabulis infusae.* Sane cum et VLPIANVS, cuius aetate signorum vsus diu inualuerat, nullam in describendo vetusto testamentum per aes et libram condendi ritum signatorum vel obsignationis, mentionem iniiciat, vel haec con-

d) in *Novell. const. Lib. I tit. 9.*

e) in §. 2. l. de test. ordinandis.

f) de *subscrib. et sign. test. c. XX.*

P. 208. et 209.

g) in *obs. iur. Rom. Lib. III. cap. 21.*

P. 312.

coniectura ad firmandam, quae antea ex ipsius solemnitate ratione exposita est, sententiam sufficere videtur.

III. SEPTEM TESTIVM SIGNA CAUTELAE GRATIA MORIBVS ADIECTA.

VERVM enim vero cum hoc ipsum, vt fere fieri inter mortales solet, materiam litium contentiosis hominibus praestaret, an legitimo testium numero peractum esset, quidquid est testamentariae solemnitate: cautelae gratia a) non contemnenda consuetudine inuectum esse videtur, vt testes non modo sed et antestatus ac libripens b) signa adponerent tabulis. Sic Augusti testamentum, praesente familiae emtore per aes et libram confectum, signatum fuisse constat c). Idem euincit signatarum tabularum frequens mentio d), isque inprimis testamenta apericendi solemnitate ritus e), quo signatores, vt signa cognoscerent, aduocabantur.

V.

a) Ex eadem ratione in simili argumento scripturam probationis gratia in solempni verborum obligatione inuectam esse refert IUSTINIANVS §. 12. 1. de inutilib. stipul.

b) Antestatum et libripendem inter signatores merito referri, non inanis est coniectura: nam eosdem et testimonium ferre oportebat de eo, cui interferuerat. Vnde improbus et intelligibilis erat, qui dum se testem esse sinebat, libripensque fuerat, fere

re testimonium recufabat; ceu refert GELLIVS NoE. Attic. Lib. XV. c. 13.

c) SVETONIVS in vita Neroni cap. 14. et in vita Augusti cap. 61. conf. Dn. TREKELL. 1. c. cap. III. §. 52.

d) L. 3. D. si tabulae testam.

e) L. 6. et 7. D. test. quemadm. aper.

B

V. SEPTIEM TESTIVM SIGNA SVFFICIEBANT
AD R. P. SECVNDVM TABVLAS. INDE IVRI PRAE-
TORIO VINDICATVR TESTAMENTI PER
TESTES OBSIGNATIO.

si quae itaque erant testamenti tabulae septem testium signis obsignatae, praesumptionem et veritatis et solemnitatis habebant, ceteras videlicet *mancipationis* et *nuncupationis* solemnitates non minus interuenisse *a)*. Haec validi testamenti satis idonea praesumptio mouit Praetorem, vt in eiusmodi tabulis scripto heredi ex edicto daret *bonorum possessionem*, donec lis de iure testamenti esset decisa. Edicti eam in rem concepti fragmentum ex albo C. Cornelii Verris seruaui CIGERO *b)*, idque non nouum, sed ex anteriorum Praetorum edictis repetitum, seu, quod vocant, *tralatitium* esse, ipse obseruauit. *Si de hereditate ambigetur et tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam e lege oportebat, ad me proferentur: secundum tabulas testamenti potissimum hereditatem dabo.* Sufficiebant ergo septem testium idoneorum signa, non quasi Praetor nouum ius traditurus *mancipationem* et *nuncupationem* ad testamenti validitatem pertinere negasset, sed quod ea quaestio, an ceterae iuris solemnitates interuenerint, in iudicio, in quo de *possessione* agebatur, altioris esset indaginis, cuius remediis ciuilibus persequendae facultatem, data bonorum possessione, non ademerat

a) In simili argumento pro scriptura, super stipulatione consecuta, violenta militabat praesumptio, ma-

nifestissimis probationibus euertenda, §. 12. I. de inutil. stipul.

b) CIGERO in Orat. in Verrem Lib. 1. cap. XLV.

merat Praetor e). Proderat ergo heredi instituto bonorum possessio, si, quae ex testamento rite signato capta erat, praesumptioni veritas respondebat, vel si nemo testamentum impugnabat: inanis vero et *sine re*, seu effectu, erat, si iuris solemnitates vere deficere probaretur. Quam in rem VLPĪANVS d), dum de bonorum possessione, ex testamento septem signis testium signato danda, loquitur, *bonorum possessio*, inquit, *cum re, id est, cum effectu habetur, si nemo alius iure civili heres sit*. Praetor itaque septem testium signationem edicto suo non demum introduxit, sed ex septem personarum, quas EX LEGE, seu in edicto Verris dicitur, hoc est, ex iure civili in testamento per aes et libram solemnitatis causa adesse oportebat, testamento adiectis signaculis praesumptionem validi testamenti ex coque competentis iuris hereditarii cepit, idoneam omnino et sufficientem ad bonorum possessionem impertiendam. Quo ipso euenisse sensim ac pedetentim videtur, ut quod Iustinianus dixit, *ex edicto praetorio forma alia faciendorum testamentorum introducta sit: iure enim honorario nulla mancipatio desiderabatur, sed septem testium signa sufficiebant: cum iure civili signa non essent necessaria; quamquam et cautelae gratia in vim maioris probationis adhiberentur*.

VI. ADSCRIPTIO TESTIVM IN TESTAMENTO
IMPERATORVM CONSTITVTIONIBVS
INTRODVCTA.

ET haec quidem ad testium obsignationem pertinere videbantur. Sed nec obsignatio ad fraudem coercendam sufficiebat, siquidem

e] Conf. Doctissimi TREKELII *d]* VLV. *fragm. tit. XXIII. §. 6.*
re. *tit. e. III. §. XXXIX. et seq.* B 2

quidem omnibus uno eodemque annulo signare licuerat. Ad maiorem itaque et certiore fidem non solum annulo testamenta signabant, sed et nomen suum adscribebant testes. Subscriptionis testium natales sacris *Imperatorum constitutionibus* vindicat IUSTINIANVS a); quamvis cuius imperatoris constitutionibus inualuerit, fere ignoremus. Quandoquidem vero subscriptionis testium in testamentis iam mentionem iniecerint, qui sub Antonino Caracalla, Elagabolo et Alexandro Imp. iurisprudētia laude floruerunt legum peritorum coryphaei, VLPPIANVS b) et FAVLVS c); consequi omnino videtur, istorum Imperatorum aetate antiquiores esse, quae subscriptionem testium in testamento adornarunt, imperatorum constitutiones. Horum imperatorum constitutiones demum comprobauit THEODOSIUS d), ac scriptum testamentum testibus septem numero, ciuibus Romanis, puberibus omnibus, signandum subscribendumque esse constituit. Inanis rursus est SALMASII e) reprehensio, quando

ICTOS

a) §. 2. et 3. *I. de test. ordinandis.*

b) VLPPIANVS in leg. 22. §. 4. *D. qui test. fac. poss. Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verum signauerit, pro eo est, atque si adhibitus non esset; et si, ut multi faciunt, adscripserit se, non tamen signauerit, adhuc idem dicemus.* SALMASIO *de subsc. et sign. test. cap. XXI. p. 219.* subscriptio testium ex constitutionibus principum introducta esse non videretur; eum VLPPIANVS id ex constitutione aliqua principis sancitum esse, non dicat: neque id verisimile sit, cum addat, de his testibus, qui se adscriberent, non tamen signarent, multos tunc temporis id facere consuetos. Verum enim vero VLPPIANVS,

quod excitata eius verba euincunt, subscriptionis, tamquam iuris iam constituti, mentionem inicit, originis, qua ius inualuerit, praetermissa mentione. Quis vero eam exinde ex constitutionibus inualuisse facile negauerit, quam ex eis inuentam esse IUSTINIANVS §. 3. *I. de test. ordinandis* euincit. Vetus mos, quem refert VLPPIANVS, non ad subscriptionem sed ad signationem pertinet; id enim multos facere consuetos ait, ut se adscribant, non tamen signent. Morem in non signando testamento improbat.

e) *L. 30. D. qui test. fac. poss.*

d) *L. 21. C. de test.*

e) *de subscrib. et sign. testam. cap. XXI. p. 222.*

ICTOS notat in indagando eius constitutionis, qua testium subscriptionem inuentam esse dixit IUSTINIANVS, auctore sollicitos: quasi a nemine eorum animaduersum sit, non *vnam* aliquam constitutionem Imperatoris intelligendam esse, sed *corpus* siue *Codicem Constitutionum*, quo sancitum est, non solum subscriptionem testium sed etiam ipsius testatoris necessariam esse in testamentis faciendis. Sane ne opinabile quidem est, Iustinianum ad *Codicem Constitutionum* respexisse, qui originem solemnium testamenti expositurus, et quae anterioribus temporibus in ordinando testamento contigerint, narraturus, alia horum ex *vsu*, alia ex *constitutionibus* deriuat, et *paulatim* inquit, *tam ex vsu hominum quam ex constitutionum emendationibus coepit in vnam consonantiam ius civile et praetorium iungi*, demique subscriptionem speciatim *ex constitutionibus inuentam esse* addit. Id quod diu ex Constitutionibus Imp. inuauerat, non potuit corpore constitutionum seu codice Iustiniano inuentum dici.

VII. QUID SIT SVBSCRIBERE, ADSCRIBERE,
SVBSIGNARE?

SVBSCRIBVNT testes testamento, quando scripturae, quae testamentum continet, testimonii causa nomen propria manu adponunt. Subscribere Romanis frequentius dicitur *adscribere se*, vel *adscribere nomen suum* a). Fallit tamen SALMASIVS b), subscriptionis aut subscribendi verbum in Digestis legi negans.

MAR-

a] L. 22. §. 4. D. qui test. fac. poss. b] l. c. cap. XXI. p. 219.

MARCIVS c), qui sub Antonino Caracalla et Alexandro Imp. diu ante Constantinum M. vixit, post cuius aetatem *sub-
scriptionis* vocabulum in vſu eſſe cepiſſe putat Salmaſius, de
teſtatore ſubſcribente locutus, hac voce vitur, et ſi *ſpecialiter*,
inquit, *ſubſcriptio facta eſt: QVOD ILLI DICTAVI ET RECO-
GNOVI*. Idem codicillos recenſet, teſtatoris manu ſignatos et
ſubſcriptos d). Veteribus Romanis *ſubſignare* idem erat ac *ſub-
ſcribere*. Vetuſtum vocis ſignificatum explicans PAVLVS e),
ſubſignatum, inquit, *dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt. Nam
veteres ſubſignationis verbo pro adſcriptione uti ſolebant*. Veteris
ſignificatus vix reliquias in iure noſtro deprehendimus, vt non
praeter rem hoc Pontificii iuris verbum eſſe CVIACIVS f)
idque iam Pauli aevo obſoletum eſſe, HERALDVS g) cenſue-
riunt, ſubſcriptionis vel adſcriptionis vocabulo magis vſitato h).

VIII.

e) L. 1. §. 8. D. de lege Cornel.
de falſ.

d) L. 6. §. 2. D. de iure codicillo-
rum

e) L. 39. D. de Verbor. ſignif.

f) CVIACIVS ad L. 39. D. de
verb. ſignif.

g) HERALDVS in obſeruat. ad ius
Aſtic. Lib. I cap. 1. §. 19. p. 8

h) Magnis ſane animi contentio-
nibus de vocis *ſubſignare* ſignificatu
diſputarunt SALMASIVS et HERAL-
DVS, ſiquidem hic *ſubſignare*, ob-
ſoleto iam Pauli aevo ſignificatu, pro
ſubſcribere accipi, ille vero ſemper et
recentiori aevo idem eſſe ac *ſubſcribere*,
exiſtimans, cum loca quaedam
Pandectarum, vbi *ſignare*, hoc eſt,
ſigna imprimere, in *ſubſignare*, hoc

eſt ſubſcribere, temere commutat;
tum alia loca Auctorum clariſſimum
corruptit. Vid. SALMASIVS de
modo uſur cap. XII. p. 436. et de ſub-
ſcrib. et ſign. teſt. cap. 23. p. 130.
HERALDVS l. c. p. 8. et lib. VII. c.
5. p. 506. Sane multiplicis impro-
prii ſignificatus vox *ſubſignare* eſt.
In L. ult. §. 3. C. de adminiſtrat. bo-
nor. res minorum ſine decreto *ſubſi-
gnare*, idem eſt, ac res obligare. In
eodem ſignificatu facultates ſiſco ſub-
ſignatae dicuntur in L. 5. §. 10. D.
de iure immunitatis. Apud CICER-
RONEM in Orat. pro Flacco cap. 32.
praedia ſubſignata apud aerarium
ſunt praedia in cenſum delata, cum
cenſus peragebatur. Apud PLINIVM
Epiſt. lib. III. ep. I. n. 12. idque nunc
apud

VIII. GENERALIS ET SPECIALIS TESTIVM
ADSCRIPTIO IN TESTAMENTO.

TESTIS subscribens vel scriptioni alienae solum nomen, *animo testimonii reddendū*, adscribere, vel id speciatim annotare potest, *se testimonii causa testamento alterius se adscribere*: prior subscriptio *generalis*, posterior *specialis* dicitur. Posteriores magis *conuenire* existimabant Romani, siquidem ad totam subscriptionis rationem eo certius significandam pertinere videbatur: quamquam hanc solum iure legeque desiderari, et generalem subscriptionem improbari vel irritam declarari nullibi reperimus. *Singulos testes*, ait, *PAVLVS a)*, *qui in testamento adhibentur, proprio chirographo annotare conuenit, quis, et cuius testamentum signauerit*. Quod ex Pauli sententia cuiuslibet obuium fuerat, quodque *BARNABAS BRISSONIVS b)* adducto eleganti Amphiloehii subscriptionis in testamento Gregorii Nazianzeni exemplo diu illustrauerat, id quidem nullos hactenus iuris Doctores ante se assēcutos esse, frustra fingit *SALMASIVS c)* in eo quoque lapsus, quod hanc vnicam subscribendi rationem, quam antea specialem diximus, Romanis cognitam fuisse nec vnquam solum testis nomen testamento scripto subiectum esse existimet, sed aliquot aut plurium verborum annotationem in subscriptione adhibitam esse, vix paucioribus verbis conceptam, quam

apud te configno, idem est ac te nunc huius promissi testem constituo. Unde et apud Eundem Lib. X. ep. III n. q. non sine magna fiducia sub signo apud te fidem pro moribus Romani mei, Voconiū, quem Traiano commendabat Plinius.

a] L. 30. D. qui test. fac. poss.

b] de solemnib. Popul. Rom. form. Lib. VII.

c] l. c. cap. XXI. p. 213.

quam his: *Ego Lucius Titius Caii Sempronii testamentum subscripsi.* Hanc subscribendi rationem tantum *conuenire*, dicit PAVLVVS; quae vero negotio tantum conueniunt, ad formam eius et necessariam solemnitatem non pertinent: vt adeo dubium non sit, valuisse testamentum, etiam si testes solum nomen adscripsissent.

VIII. SIGNANDORVM TESTAMENTORVM MOS.

SIGNANDORVM testamentorum varia ratio fuit apud Romanos. Vetustissimam ita explicabant Quirites, vt tabellas alias super alias impositas et coniunctas lino aliquoties circumligarent; siquidem et linum bis, ter, quaterve circumducere solemne erat *a)*; tum ipsi lino, inprimis vero extremis eius partibus, ceram seu frustum cerae, tandem ipsi cerae signa septem testium annulo vtplurimum signatorio imponent *b)*. Ita vero non in ima tabularum parte imprimebant signa sed in exteriori tabularum parte, lignea et non cerata. Vnde et in resignandis tabulis testes conuenire et sigilla recognoscere oportebat *c)*; tumque inciso lino tabulae aperiebantur *d)*. *Literarum* signandarum eandem

a) L. I. §. 11. D. de bon. possess. secund. tabul. Vnde si vel vnum limum tenebat, signatas adhuc tabulas esse adfirmat Vlpianus, quamuis vel incisa vel rosa pars vnus lini esset.

b) PALMASIVS de modo vsur. cap. XI. p. 437. Conf. 10. KIRCHMANNVS libro singul. de annul. cap. V. GEORGIUS LONGVS, Ambrosianae Bibliothecae custos, de annulis signatoris sine vario obsequandi ritu, cap. X. pag. 95.

c) L. 4. et 7. D. testamenta quem adm. aperiant.

d) L. 13. §. 19. et 23. D. de Senatusconsulto Silianiano. Vnde IVL. PAVLVVS recept. sentent. lib. IV. tit. VI. §. 1. tabulae testamenti, inquit, aperiantur hoc modo, vt testes vel maxima pars eorum adhibeatur, qui signauerint testamentum: ita vt agnitis sigillis, rupto lino, aperiantur et recitetur.

eandem ac testamentorum rationem fuisse docte exposuit Celeb. SCHWARZIVS e). Itaque cum de interceptis Cethegi et Lentuli literis ad senatum referret CICERO f), *tabellas, inquit, proferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendimus Cethego signum: cognovit. Nos linum incidimus: legimus, erat scriptum ipsius manu. Tum ad Lentuli literas progressus, ostendi, inquit, tabellas Lentulo: et quaesivi, cognosceretne signum. Annuir. Est vero, inquam, signum quidem notum, imago aui tui, clarissimi viri.*

X, MUTATA SIGNANDORVM TESTAMENTORVM
RATIO EX SCTO NERONIANO.

VERVM enim vero ea tabulas signandi ratio aduersus curiosos et morientium voluntates serutantes et aduersus falsarios non adeo tuta fuerat, quin hi linum tabulis circumductum, saluis signis, fraudulenter subducerent soluerentque, atque aperire tabulas quaslibet obsignatas ita callide scirent, vt non appareret, tumque vel legatis in cera adscribendis vel delendis locus esset. Fraudibus hereditarum coercendis reique consummandae nondum sufficere videbatur *Lex Cornelia testamentaria*, quae quamquam in eos qui testamenta subiecerant, resignauerant, deleuerant, quodue signum adulterinum exculperant, amouerant, reserauerant, poenas decreuerat a), nondum tamen materiam fraudis sustulerat. Itaque temporibus Neronis b) *aduersus falsarios*

e) in Diff. de libris plicatilibus vet. §. VI. Conf. 10. KIRCHMANNVS l. c. cap VII.

f) in Orat. III, in *Caecilium* cap. V.

a) PAVLVS recept. sent. Lib. V. tit. XXV. §. 1.

b) SVETONIUS in vita Neronis Claudii cap. XVII.

rios tunc primum repertum, ne tabulae nisi pertusae, ac ter lino per foramina traiccto, obfignarentur. Muniendarum itaque tabularum causa inuentum est, vt triplici lino ducto circum tabulas, et per foramina, quae in summa margine fuerant facta, traiccto, signis super linum impositis obfignarentur. Cautionem Senatusconsulto Neroniano introductam, quam SVETONIVS de tabulis in primis testamentariis refert, ad omnia instrumenta pertinuisse, ex IVLII PAVLI c), qui paulo vberius ligandi signandique rationem exponit, testimonio intelligitur. Amplissimus Ordo decreuit, eas tabulas, quae publici priuatiq; contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, vt in summa marginis ad mediam partem perforatae triplici lino constringantur: atque impositae supra linum cerae signa imprimantur, vt exteriores scripturae fidem interiori seruent. Aliter tabulae prolatae nihil momenti habent.

XI. SCTVM NERONIANVM TANTVM PERTINUIT
AD TABVLAS CERATAS, NON AD CHARTACEAS, MEMBRANACEAS.

QVOD vero tabularum ter perforandarum ratio exigere videbatur, recte obseruauit CLAVDIVS SALMASIVS a), senatusconsulti sententiam tantum ad tabulas ligneas, cera obductas, pertinuisse, siquidem et illae Neronis tempore in frequentissimo vsu fuerant. Ex quo vero tabularum nomine ex interpretatione ICtorum

c) PAVLVS Lib. V. recept: senat. tit. XXV. §. 6.

a) SALMASIVS de test. subscrib.

et sign. cap. XXVIII. p. 273. SCHVLTINGIVS in iurisprud. Anteiust pag. 516.

ICTorum extensiu chartae et membranae veniebant, atque in his nouiori aeuo frequentius condebantur testamenta; constitutio de tabulis ter perforandis et triplici lino constringendis aliena esse videbatur a *chartis*, quarum teneritas et tenuitas, vt pertusae, et ter lino per foramina traiecto obligatae integrae permansissent, vix patiebatur. Neque etiam testamenta in chartarum et membranarum voluminibus scripta istis *falsariorum fraudibus* adeo facile obnoxia fuerant, quae in ceratis tabulis illam obsignationis cautionem inuexerant, in quibus delendo, inducendo, adscribendo facile aliquid mutari et falsum committi poterat. Vt adeo et Senatusconsulti ad *tabulas ceratas* adstricta dispositio, et *chartarum tenuium* indoles, et ipsa difficilior *fraudis* in chartis membranisque exercendae ratio effecisse videatur, vt mos signandi et ius senatusconsulto Neroniano introductum sensim exoleuerit, eiusque nequidem mentio in corpore iuris Iustinianei iniiciatur.

XII. DE INVOLVRO ET QVATENVVS PARS TESTAMENTI SIT VEL NON SIT.

LICVITNE vero, testamenta in involuero signare? Inuolucrum testamenti est integumentum, cum scriptura, quae ultimam voluntatem continet, coniunctum. Compositum erat vel ex eadem materia, qua scriptum erat testamentum, vel ex alia, ad obtegendum inuoluendumque testamentum apta. Itaque modo ex membrana, modo ex linteo vel alia materia constabant testamentorum inuolucra. Habebant et libri veterum eiusmodi

di opercula, vnde *liber cultus membrana MARTIALI a)* dicitur: et ad inuolucrum libri respicit *TIBVELVS b)*.

Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum: Rationes eorundem accurate explicuerunt Viri docti *CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHWARZ c)* et *CHRISTIANVS HENRICVS TROTZ d)*. Testamentum vero a testatore vel eo animo inuolucro obducitur, vt, quae ad testamentum *ordinandum* pertinent, in eo simul peragantur; vel eo animo testamento non additur. Si *hoc*; inuolucrum *partem testamenti* non constituit, sed pro nudo operculo vel velamine testamenti, iam solemniter ordinati omnibusque numeris perfecti, habendum, quod saluo illo, adesse et abesse potest. Sin inuolucrum ad ea, quae ad *ordinandum* testamentum pertinent, simul peragenda destinatur, *partem testamenti* conficit.

XIII. INVOLVCRVM TESTIVM ADSRIPTIONI ET OBSIGNATIONI DESTINATVM, PARS TESTAMENTI FIT

QVAMQVAM vetusto iure Romano testamenta non nisi in tabulis cerisue conderentur: nouiori iure tamen quam quilibet testator *materiam* ad ordinandum testamentum vsurparet, eius *arbitrio* relictum fuerat (§. III.). Testator ergo inuolucrum, ex materia ad scribendum idonea compositum, ad ea quae ad ordinandum testamentum pertinent, destinans, arbitrio, lege sibi

a] Lib. X. epigr. 93.

b] TIBVLL. eleg. V. L. 3.

c] De ornamentis librorum apud
veteres vltantis diff. II. §. XXIV.

d] in obseruat. ad HERMANNI
RUGONIS II. de prima scribendi ori-
gine p. 602.

sibi dato, convenienter agit: ac proinde iure suo utitur, dum I. quae vel maxime ad testamentum ordinandum pertinent, testium *adscriptio* et *obsignatio* involucrum destinat, idque II. partem testamenti facit.

XIII. ADSCRIPTIO ET OBSIGNATIO TESTIVM
IN TESTAMENTO INVOLUCRO SUFFICIENS
ET LEGITIMA EST.

TESTIVM subscriptio et obsignatio in ea testamenti *parte* facienda, ex quo *totum* subscriptum et signatum intelligi potest. Cum enim *vna* tantum testium subscriptio et obsignatio desideretur, testamenti vero *plures* partes, tabulae, paginae esse possint: illam in ea fieri sufficit, qua facta *totum* signatum subscriptumque intelligitur. Atque hoc adeo verum est, ut ea inprimis ratio adscriptionem testium in *ultima tabula* vel *testamenti pagina* legitimam et sufficientem efficiat. Quandoquidem vero *involucrum* ea pars testamenti est, quo ipsum *integrum* testamentum continetur: adscriptione testium et obsignatione in eo peracta, *totum* testamentum signatum subscriptumque intelligitur. Est ergo sufficiens testamenti subscriptio et obsignatio, est et legitima, siquidem suo iure involucrum ad eandem destinare potuit testator (§. XIII.). Aequipollet itaque subscriptioni et obsignationi in *ultima tabula* vel *pagina* factae. Quae cum ita sint, nullum ex illa vitium testamento obverti potest.

XV. OBSIGNATIO TESTAMENTI IN INVOLVRO
CERTISSIMI VSVS APVD ROMANOS.

VIDIMVS ex iuris Romani et testamentariae illius solemnitate principii, nihil obesse, quominus obsignatio et subscriptio in involvulo, scriptioni apto, legitime fiat. Iam ad Quiritium mores perueniamus, inquisitioni, an quod *iuris principii* convenit, penes eos in *more* positum fuerit. De vetustiori solemnitate, obsignatione videlicet, res testatissima est, eam in involvulo iure legeque factam esse. Auctor est ULPIANVS libro XXXIX. ad Edictum a): *Signatas tabulae accipi oportet, et si linteo, quo tabulae involutae sunt, signa impressa fuerint.* Linteum involvulorum memorat Ictus: nam et in linteo scribere Romanis solemnè erat (§. II.). Pro parte testamenti illud habet, dum *tabulae signatas* accipiendas esse censet, etiamsi involvulum linteum tantum signatum fuerit: ac proinde ea testamenti parte, quae *totum* simul complectitur, signata, integras tabulas signatas esse argumentatur. Eadem haec est argumentatio, qua antea (§. XIII.) vti sumus: eaque ideo legitima est.

XVI. ADSCRIPTIO TESTIVM IN INVOLVRO
TESTAMENTI PRINCIPIIS IVRIS ROM.
NON REPVGNAT.

DE nouiori, quae principalibus Constitutionibus inualuit testamentaria solemnitate, de *testium* videlicet in testamenti involvulo *adscriptio* maior intercedit disputatio, quam non rectius tra-

*) L. 22. §. 7. D. qui testament. facere poss.



tractabimus, quam si eam nec cum *ius Romani principis*, nec cum *subscribendorum* testamentorum more pugnare, eamque reuera Romanis *in usu* fuisse ostendamus. Quae antea *generatim* exposita, de hac quoque valent principia. Omnis testium in testamento adscriptionis ratio et *indoles* posita erat in testimonio testamento adposito, *quis et cuius testamentum signasset a)*, eius vero *finis* eo pertinebat, ut ex ea, totum testamentum coram legitimo testium numero ordinatum esse, tabulasque prolatas ultimam testatoris voluntatem certissime continere, ex ea constaret. Si itaque cum *indoli*, tum testium subscriptionis *fini* ea, quae in involucro sit, conuenit, eadem et cum *principis*, quae de testium subscriptione iure Romano dantur, conspirat. Inuolucrum, testamentariae solemnitati destinatum, eam testamenti partem constituit, quae cum totum testamentum in se comprehendat, totum testamentum quoque repraesentat. Adscriptio testium ergo in eo facta continet testimonium testamento adpositum, quis et cuius testamentum signauerit: ac proinde *indoli* subscriptionis conuenit. Quis vero negauerit septem testibus in involucro testamenti se adscribentibus, omnimodo constare, ultimam voluntatem coram *legitimo testium numero* solemniter ordinatam esse? Quis de *certissima* testatoris voluntate dubitauerit, clausum involutumque testamentum testibus in involucro subscribendum offerentis, suamque his obsignatis inuolutisque tabulis contineri voluntatem declarantis? Cum *indole* ergo, cum *fine*, cum omnibus *principis*, quae iure Romano de subscriptione testium dantur conspirat testium in involucro testamenti adscriptio.

XVII.

a) Verba sunt PAULI in L. 30. D. qui testam. fac. poss.

XVII. NEC CVM MORE SVBSCRIBENDORVM
TESTAMENTORVM PVGNAT.

ALTERVM erat, vt nec subscribendorum testamentorum mori repugnare testium in testamenti inuolucro adscriptionem ostenderemus. Quando vero de testium subscriptione, saltem Pauli aeuo, *imperatorum constitutionibus* introducta, (§. VI.) quaerimus, frustra ad eam signandorum testamentorum solemnitatem, quam *SCtum Neronianum* praecipit, recurrere, cum eaque subscriptionem in inuolucro conciliare videmur, siquidem aeuo Neronis nullus fuerat subscriptionibus testium in testamento locus, et ipsa denique SCTi Neroniani signandi ratio sequiori aetate obsoleuerat (§. X. XI.). Illud testatissimum est, vsos non minus esse Romanos *testamentorum inuolucris*, quam in iisdem *signa* testium adposuisse (§. XV.): itaque an, quod signare solemne erat inuolucrum, eidem non minus testium nomina *adscribere* par fuerit, disquirere superest. Linteum Romanos ad inuoluenda testamenta vsurpasse, euictae veritatis est Vlpiani testimonio (§. XV.). Quin vero aliam quamcunque materiam scriptioni non minus quam inuoluendo testamento aptam, adhibuerint, plane non dubitandum, cum quae in *ipsis testamentis*, in qualibet materia *scribendis*, nouiori aeuo erat libertas (§. III.), eadem et fuerit in qualibet materia, membrana, charta, corio animalis ad *inuolucrum testamenti* destinandis. Quae materiae cum non modo scriptioni idoneae essent, sed et easdem conscribendis testamentis vsurpare fas et solemne esset Romanis (§. III.), quis in inuolucro, ex eiusmodi materia
con-

constante, testium adscriptionem apte et commode fieri posse negauerit? Et quid quaeso aptius et conuenientius erat, quam testamento, in inuolucro a testibus *signato*, nomina quoque testium *adscribere*? Subscriptio testium testimonium erat peractae testamenti obfignationis. Iudice PAVLO enim, *singulos testes, qui testamento adhibentur, proprio ebiographo ADNOTARE conuenit, QVIS ET CVIVS TESTAMENTVM SIGNAVERIT a)*. Cum ergo obfignatio antecedere subscriptionem soleret *b)*: *conuenire* videbatur, vt si testamentum in *inuolucro* esset *signatum*, *adscriptio* testium quoque, tamquam factae obfignationis *testimonium*, aequae fieret in inuolucro. Ponamus ergo rarioris nouiori aeui vsus testamenti *tabulas ceratas*, hoc est, codicem plurimum tabellarum, aliarum super alias impositarum, deinde linteo, quod huic testamentorum generi aptissimum erat, inuolutarum? quid prohibuit, quominus postea, quam *signa*
linleo

a) L. 30. D. *qui test. fac. poss.*

b) De hoc argumento magna inter CLAUDIUM fuit non contentio modo, sed fere altercatio, quorum ille *subscriptas prius*, deinde in externa parte *signatis*, hic *signatas prius* deinde *subscriptas esse tabulas* exillimauit. SALMABIVS *de modo usur. cap. XI. p. 442. et seqq. et de subscrib. et sign. test. cap. XXV. et XXXI HERALDVS in obseruat. ad ius Att. et Rom. lib. I. cap. 1. et lib. VII. cap. 4. et seq.* Salmatio potissimum in ore est mos signandorum testamentorum secundum Sctum Neronianum; quamquam Neronis tempore de sub-

scriptione testium frustra quaeretur. Viget deinde, subscriptionem in interioribus tabulis factam esse, obfignationem in exterioribus; illamque ideo his praecedere debuisse. Heraldus non *vniversim* affirmavit, prius signatas esse tabulas quam subscriptas; id tamen fieri potuisse saepiusque in *occulis testamentis* factum esse, ex rei veritate affirmavit. Si testamentum arcanum non erat, nihil intererat, signaretur prius quam subscriberetur. Sin id arcanum esse volebat, quale erat in primis inuolutum testamentum; illud vel *in ima charta*, quae libera et aperta ad subscribendum relicta fuerat, vel *in inuolucro* signabatur signatumque subscribatur.

D

linto appofuerant testes, se quoque adscriperint? Si enim in qualibet materia ac proinde et in linteis, quo publica et priuata instrumenta scribere solemne erat, conscribere licuit testamenta (§. II.), cur non et *linter* inuolucra illi testamentariae solemnitati destinare licuerit? Ponamus deinde *chartarum membranarumue volumen*, seu chartas membranasue in semetiplas reuolutas; deinde alteri chartae seu membranae *inuolutas*; testamentum signatum subscriptumque accipi oportebat, et si chartae et membranae, quo *inuolutum* est, *signa* impressa fuerint, et *adscriptio testium* facta. Sed obiciis forte, veteres in *interiori* chartae membranaeue *parte* ordinaria ratione scripsisse, *auersa* parte *pura* ut plurimum relicta, ac proinde vix esse, ut adscriptio testium in *auersa* parte *inuoluti* testamenti seu *a tergo* facta fuerit. Verum enim vero veteres in *auersa* non minus quam *aduersa* parte saepius scripsisse, testatur frequens mentio librorum *opistographorum*, hoc est, etiam *a tergo* scriptorum (c). Quod adeo verum fuerat, ut cum quaereretur, an recte quis in *opistographo* sit *testatus*, VLP IANVS d) testamentum valere et bonorum possessionem ex eo dandam esse tueretur. Non dubium ergo fuerat in tergo membranae chartaeue, in qua inuolutum erat volumen testamenti chartaceum vel membranaceum, *apte* fieri testium adscriptionem potuisse.

XVIII.

c) Plura de his referunt GUIDO PANCIOLOLLUS in *thelauro variar. lectionum* lib. I. c. 28., in *Iurisprud. Romanae et Aethicae*, tom. II. p. 964. et. CHRIST. GÖTTL. SCHWARZ.

d) *diff. II. de ornamenti libr. apud vet.* §. 13.

e) L. 4. D. de Bonor. poss. sec. tabular.

XVIII. ADSCRIPTIO TESTIVM IN INVOLVTO
TESTAMENTO EX CONSTITVTIONE
THEODOSII ADSTRVITVR.

QVAE ergo nec iuris principiis nec subscribendorum testamentorum rationi repugnat, iure licito facta est testium in involucro testamenti adscriptio. Quidni enim id iure optimo maximo liceret, quod nec Legibus improbatum est, nec cum iisdem pugnat? Magis adhuc ad rem facit, quod eandem iura Romana comprobauerint eiusque vsum commendauerint in testamentis, quorum secreta testium oculis committere subuereantur. Extat eam in rem Constitutio Theodosii et Valentianini A. A. ad Florentium P. F. P. quam ex parte Codici inseruit Iustinianus *a)* quae integra extat in libro Nouellarum Theodosii tit. VIII. cuius praecipuum caput subiicere operae pretium est *b)*. *Natura talis est hominum, vt quosdam diligant, alios timeant; quibusdam sint officiosae gratiae debitores, alios suspicentur; quorumdam fidem intelligant, eligendoque aliis nihil credendum existiment, nec tamen audeant, de singulis, quae sentiunt, consisteri. Ideo veteres testamenta scripta testibus offerebant, oblatarumque eis tabularum perhibere testimonium postulabant. Sed dum iuris antiqui cautelam paulatim mutat posteritatis imperita praesumptio, et testes exigunt omnia, quae testamento continentur agnoscere, eo res processit, vt dum sua quisque nonnunquam iudicia publicare formidat, dum testi-*

a) L. 21. C. de testamentis et FORNERIUS selectionum libr. II. cap. XII. in EVERARDI OTTONIS ibe-

b) Exhibuit eam CUIELIELMUS sauro iuris Rom. tom. II. p. 60.

testibus testamenti sua non audeat secreta committere, ne suis facultatibus inhiantes offendat, intestatus mori malit, quam sua mentis arcana periculose patiaturs exprimere. Hac itaque consultissima lege sancimus, licere per scripturam conscientibus testamentum, si nullum scire volent, quae in eo conscripta sunt, SIGNATAM vel LIGATAM, vel tantum INCLUSAM INVOLVTAMVE proferre scripturam, vel ipsius testatoris, vel cuiuslibet alterius manu conscriptam, eamque, rogatis testibus, septem numero, ciuibus Romanis, puberibus omnibus, simul offerre signandam et subscribendam: dum tamen testibus praesentibus testator suum esse testamentum dixerit, quod offertur, eique ipse coram testibus sua manu in reliqua parte testamenti subscripserit. Quo facto, et testibus vno eodemque die ac tempore subscribentibus et signantibus, valere testamentum: nec ideo infirmari, quod testes nesciant, quae in eo scripta sunt testamento.

XVIII. CONSTITVTIO THEODOSII EXPLICATA.

MENTI imperatoris aequae ac ipsius sanctionis verbis conuenit testium in testamenti inuolucro adscriptio. Vnicum quod in testibus signantibus seque adscribentibus desiderat, est illud, vt sentiant, cui rei adhibiti sunt testes; hoc enim et testimonii reddendi ratio exigere et ad vltimae voluntatis certitudinem pertinere videbatur. Sufficiebat ergo, si testibus praesentibus testator suum esse testamentum dixerat, quod offertur: vt vero testes eorum quidquam intelligerent, quod in testamento scriptum erat, neque opus neque proficuum erat. Idem olim D. Marci rescripto decisum esse, auctor est VLPYANVS libro I. ad Sabinum a), qui.

a) L. 20. §. 9. D. qui test. fac. poss.

qui, non tamen, inquit, intelligentiam sermonis exigimus: hoc enim D. Marcus Didio Juliano in teste, qui latine non noverat, rescripsit: nam si vel sensu percipiat, quis, cui rei adhibitus sit, sufficere. In eandem rem sententiam dixit PAVLVS b): ex his qui ad testamentum adhibentur, si qui sint, qui latine nesciant, vel non intelligant, sed tamen sentiant, cui rei intersint, adhibiti non vitiant testamentum. Immo hoc ipsum summae cautionis res erat, quam vix coercendae heredipetarum insidiae suadere et postulare videbantur, ne ultimae voluntatis secreta innotescerent testibus. Cum vero Theodosii aetate essent, qui secreta extremi iudicii testibus pandenda esse sentirent, ni testator periculum infirmandi testamenti subire mallet: pristina iura innouaturus, dicam huic sententiae scripsit Imperator, probata confirmataque ea ordinandi testamenti cautela, qua ita peragebatur obsignandi subscribendique testamenti solemnitas, ut arcana testamenti a nulla testium agnoscerentur. Itaque si nullum scire volebant eorum, quae in testamento scripta essent, *signatam* vel *ligatam* scripturam vel tantum *inclusam* *inuolutamue* testibus simul offerre permittebatur signandam et subscribendam. *Signatam* proferebat scripturam, quam non quidem more signandi, per S^Ctum Neronianum definitum, et ad tabulas ceratas adstricto, cum Theodosii aetate chartae membranaeue frequentioris usus essent (§. II. XI.), sed vulgari more, supra (§. VIII.) explicato, signo suo signauerat testator: *ligatam*, quae lino tantum erat constricta signo nullo impresso: *clausam* c), quae naturaliter erat aperta, ut quid

b) Sent. recept. Lib. III. tit. IV. §. 13. apud SCHULTING p. 343.

c) Significatus clausi testamenti illustratur ex L. 3. §. 19. de S^Cto. Si-

in ea scriptum esset, non adpareret, vel rectius *inclusam*, ceu legit ipsa Theodosii constitutio, quae operculo seu inuolucro inclusa erat, vt eiusdem significatus esse videatur, ac *scriptura inuoluta*, hoc est inuolucro cuiuscunque generis linteo membranaceo alioque comprehensa: ita enim et VLEPIANVS d) *linteo inuolutas* tabulas dixerat (§. XIV.). Dum itaque testator inuolutam scripturam testibus signandam et subscribendam offerebat, inuoluta quoque erat signanda et subscribenda. Et qua quaeso earum parte, nisi in *inuolucro*, hoc ipsum factum esse saltim animo fingere potes? Quid ex mente Imperatoris, hanc cautionem ad occultanda vltimae voluntatis secreta probantis, magis statuendum, quam nomina testium in inuolucro adscribi debuisset, ne prorsus oculis vsurparent quae erant in testamento scripta? An forte, quae eo nomine inuolutae proferebantur, a testibus aperiendae et ita demum in ima tabula vel ima membranae chartaeue pagina subscribendae erant? Qui vero ita praeter omnem rem et praeter omnem arcani testamenti indolem rationem subduxerit, arbitror fore neminem.

XX. VINDICATVR CONSTITVTIO THEODOSII
ADVERSVS SALMASIANAM INTERPRE-
TATIONEM.

INVOLVTI testamenti significatum turbat SALMASIVS a), illud pro *conuoluto* accipiens. Quando chartae membranaeue conuol-

Siliano. *Aperire ille videtur, qui naturaliter aperit, siue sint signatae siue non sint ligatae, sed tantum naturaliter clausae.*

d) L. 22. §. 7. D. qui test. fac. poss. Vnde DIONYS. GOTHOFRE-

VS in notis ad cit. L. 21. C. de test. inuolutam scripturam recte explicat de scriptura, *linteo inuoluta*, cui rei et quaelibet alia materia inseruebat.

a) de *subscrib. et sign. test. cap. XXIX. p. 284.*

conuoluebantur, vt quod scriptum erat in interiori eius parte, intra volumen contineretur, conuolutum dici poterat testamentum, siquidem charta eo tempore non aliter ad scribendum parabatur, quam conuoluenda, dum clauderetur, et euoluenda, dum aperiretur. Inuolutum igitur testamentum adpellat ita conuolutum et naturaliter clausum, cuius scriptura inclusa intra volumen latuerit; eius vero ceteram partem vacuam fuisse putat, et nihil habuisse scriptum, ac non conuolutam relictam sed apertam testibus nimirum subscribendam. Ita Salmasius. Sed quod *inuoluere* idem veteribus sit ac *conuoluere*, ne ullo quidem testimonio probauit, in satis *diuerso* vtriusque vocabuli *significatu*. Cum in volumen redigebatur scriptura; tota chartarum series in cylindri formam conuoluebatur: et ita testamentum conuolutum dici poterat seu naturaliter clausum. Quando vero testamentum membrana, linteo vel alio integumento obducebatur, non conuolutum sed inuolutum erat *b)*. Cum *inuoluendi morem* tum *inuoluti testamenti significatum* ipsis Legibus perspicue proditum legimus: vt nulla certior sit Theodosianae constitutionis interpretatio quam ex ipsis Legibus, ex illo Vlpiani iudicio, saepius repetito, vbi *signatas tabulas*, inquit, *accipi oportet et si linteos, quo tabulae inuolutae sunt c)*, *signa impressa fuerint.*

Sic:

b) Sic pelles, quibus *inuoluuntur* vestes, memorantur in L. 5. D. de *supell. legat.* *Inuoluere* semper idem est ac *implicare*, eoque nomine metaphorice ad alias res transfertur, vt publicis priuatique rationibus *inuolutus* dicatur in L. 3. C. Th. de his qui ad *eccl.* de quo significatu plura suppleat BARN. BRISSONIUS de *verb.*

signif. voce inuoluere p. 662. Satis perspicuum significatum vocis *inuoluere* pluribus illustravit HERALDUS l. c. p. 521. eoque refert illud VIRGILII: *Vertitur interea coelum et ruit Oceano nox, inuolvens umbra magna terramque solumque Myrmidonumque dolos.*
c) L. 22. S. ult. D. qui *test. fac.* *poss.*

Sic et membranam inuoluere libellum, dici Tibullo, supra vidimus (§. XII.). Cum vero ICto teste tabulae linteae inuolutae iam olim a testibus in ipso linteo signarentur: *pristino mori* conuenit, quod Theodosius voluit, inuolutam testamenti scripturam testibus offerri posse *signandam subscribendamque*. Frustra fingitur in inuoluto testamento charta vacua et ad subscribendum aperta relicta: siquidem omnis scriptura inclusa erat inuolucro. Superest tamen vt videamus, quid Theodosio *reliqua testamenti pars*, in qua, vt ipse testator, quam signatam, ligatam inclusam inuolutamque protulerat scripturam, praesentibus testibus sua manu subscriberet, constituit. Illud quidem certum est, chartam aliquam vacuam extra ligatum signatumue vel inuolutum testamentum intelligi non posse. In *ligato signazione* testamento ima charta, cui signum impressum erat et quam linum constringebat, reliqua pars testamenti fuerat, in *inuoluto* vero ipsum *involucrum*, quod dum signandum subscribendumque offerebat, eo ipso testamentariae solemnitati, quae in obsignatione et subscriptione consistebat, destinabat, idque sic *partem testamenti* eodem iure faciebat, quo quamlibet aliam membranam chartamue ordinando testamento destinatum. (§. XIII.) Charta igitur vel membrana vel linteum, quo inuolutum erat testamentum est, reliqua pars testamenti, in qua ipse testator subscribebat: *eoque facto*, addit Theodosius, *et testibus uno eodemque die ac tempore subscribentibus et consignantibus testamentum valere:*

nec

post. obseruauit iam DESID. HERALDUS ad *Ius Rom. et Aeticum* lib. VII. cap. VIII. p. 522. vocem *involuere* in *cit. L. 22. a Basilicorum in-*

terpretibus explicari per *ἐμβάλλειν* conf. LIBRI BASILICORUM lib. XXXV. tit. I. l. 23. tom. III. p. 773. ibi τὸ πρῶτον ἐν ἐμβάλλεται.

nec ideo infirmari, quod testes nesciant, quae in eo scripta sunt testamento. Sane ipsa ratio arcani testamenti euincit, illam scripturam, quae ideo, ne testes ea, quae scripta essent, oculis vsurparent, signata, ligata, inclusa inuolutaque testibus offerebatur signanda videlicet et subscribenda, nec resignatam, nec religatam, nec apertam esse.

XXI. ADSCRIPTIO TESTIVM IN TESTAMENTI INVOLVRO EX LEGIBVS IMP. PROBATA.

IVRIS Romanis, quae Lege Theodosiana cauta erat, sententiam repetiit Maximilianus Imperator in Ordinat. Notar. de aq. 1512. tit. 2. von Testamenten §. 7. constituens, daß wer, so sein Testament machen will, in Schrift bezeichnet und verbunden, oder allein beschloffen und eingewickelt sey, von demselben Testirers oder eines jeden andern Hand geschrieben, vor sieben Zeugen, die dadurch sonderlich zusammen gerufen und gebeten, auch der Leibeigenschaft frey über vierzehn Jahr alt seyn, so sie alle bey einander versammlet sind, fürbringt, und legt die dar, durch einen jeden der sieben Zeugen zu unterschreiben, und mit ihren gewöhnlichen Signeten zu besiegeln. Quin appellatione des eingewickelten Testaments, veniat testamentum inuolucro comprehensum, quod more nostro chartaceum esse solet, dubio non caret. Si ergo charta inuolutum testamentum testibus signandum subscribendumque Lege Maximiliana recte offertur: in inuolucro chartaceo quoque legitime signatur et subscribitur a testibus.

**XXII. TESTAMENTI HOLOGRAPHI IN INVOLVRO
A TESTIBVS SIGNATI ET SVBSCRIPTI**

§. I. DE INVALIDITATE

Si testamentum holographum signatum subscriptumque a testibus est in involuero, et testator testibus praesentibus hoc suum esse testamentum edixit, reliquis servatis solemnitatibus, validum est testamentum. Testamentum holographum enim, seu propria testatoris manu conscriptum, non desiderat subscriptionem testatoris, praesentibus testibus faciendam *l. a.* *l. v.* vero testator praesentibus testibus hoc suum, quod involutum est, testamentum esse edicat, ad voluntatis certitudinem requiritur. Quandoquidem autem adscriptionem testium et obsignationem in testamenti involuero iure legeque fieri posse vidimus (§. XV. XIX.): consequens est, valere holographum ita signatum subscriptumque, ceteris servatis solemnitatibus *l. b.* Quae hic faciunt ex ipsis rerum argumentis duplici responso in *appendice* sub n. I. et II. illustrare iunabit, quorum altero illustris *ICtorum Göttingensium* Ordinis sententiam de hoc argumento exposuit Dn. Praeses, alterum vero ab illustri *facultate Lipsensi* conceptum est.

XXIII.

a) *L. 28. §. 1. C. de testam.*

b) Conf. STRYK de cautel. test. cap. XV. §. 36. LAVTERRACH in Coll. Theor. Pract. lib. XXVIII. tit. I. §. 70. et MODEST. PISTORIS Consil. XXXI. qu. II. n. 25. p. 341. cuius haec ea de re sententia est: *A*

liam formam testamenti in scriptis adinvenit praetor in qua voluntatem suam sine praesentia testium scribit testator, eandemque sic scriptam claudit, et ocellis offeri septem testibus, ut supra chartam illam, vel linteum in quo tabulae testamenti involutae sunt, se subscribant et apponant sigilla sua.

XXIII. AN, NON HOLOGRAPHVM, IN INVOLUCRO
SVBSCRIPTVM, VALEAT?

TESTAMENTVM non holographum, et in vltima tantum charta paginaue a testatore priuatim subscriptum, deinde a testibus in inuolucro signatum subscriptumque non valet; valet tamen, si prius, quam inuolutum est, *praesentibus testibus a testatore* est subscriptum. Testamentum enim, aliena manu conscriptum, non valet, nisi id ipse testator testibus praesentibus subscribat, ideoque nullum est ob vitium in *testatoris subscriptione a*. Quod cum evitari possit, si prius, quam in inuolucro includatur, testamentum a testore praesentibus testibus subscribitur; consequens est, vt, hoc defectu cessante, testamentum non holographum signatum subscriptumque a testibus in inuolucro valeat.

XXIII. VSUS REMEDII L. FIN. EX ED. D. HADR.
TOLL. IN EIVSMODI TESTAMENTO.

HERES institutus in testamento, signato a testibus et subscripto in inuolucro, vbi reliquarum solemnitatum nihil deest, remedio ex *L. vlt. C. de Ed. D. Hadr. tollendo* impetrare potest immisionem in possessionem earum rerum, quae testatoris mortis tempore fuerunt. Quandoquidem enim obsignatio et testium adscriptio in testamenti inuolucro iure legeque permittitur: testamentum ita ordinatum vitio omni caret, ac proinde cum ad bonorum possessionem ex isto remedio impetrandam, nihil aliud quam,

[a] L. 21, et 28. C. de testament.

quam, vt vitio visibili testamentum destituatur, requiratur, heres, in eiusmodi testamento institutus, hanc isto remedio iure legeque impetrat. Quod autem istiusmodi testamenti valor a nonnullis in controuersiam vocetur, non minus testamento vitium infert, ac si contradictor alterius cuiusdam rei controuersiam moueat. Quemadmodum tunc, *vbi contradictor existit, in iudicio competenti causae in possessionem missionis et subsecutae contradictionis ventilantur, eique possessio acquiritur, qui potiora ex legitimis modis iura ostendit a)*: ita etiam in praesenti argumento a contradictore controuersia validi testamenti, quae iuris quaestio est, moueatur, heres institutus tamen cum iura potiora pro validitate testamenti, in inuolucro a testibus signati et subscripti, ostendere possit, inmissionem in hereditaria bona recte impetrat.

XXV. HISTORIA ET FATA SENTENTIAE CONTRARIAE, A IACOBO FRID. LVDOVICI PROPOSITAE.

VINDICAVIMVS hactenus vim et auctoritatem testamenti, in inuolucro signati a testibus et subscripti: sed quantum satis est, vindicasse non videremur, nisi propositis excussisque iis, quae singulari dissertatione ad infirmandum eiusmodi testamentum protulit vir quondam doctissimus et celeberrimus IAC. FRID. LVDOVICI *de inuolucro vom Conuert oder Umschlag bei Testamenten und andern Brieffschaften.* Scriptionis occasionem ICto Hallensi dederat responsum, quod ipso interprete

in

a) L. vit. C. de Ed. D. Hadr. tollendo.

in causa testamenti holographi *Valentini Haendelii*, a septem testibus in involvuro signati et subscripti, ac in foro Comitatus Mansfeldensis in litigium vocati, tulerat illustris ICtorum Ordo in Academia Fridericiana, idque nullum esse censuerat. Eadem quaestio deinde in duplici casu in litigium forense deducta est, heredibus ab intestato eiusmodi testamentum sub tegmine dissertationis Ludouicianae impugnantibus: quae res locum fecit interitus hereditibus, ut in altero casu Lipsiensi, in altero Gottingensi ICtorum ordinis sententiam expeterent, quorum responsa pro vi et auctoritate eiusmodi testamenti subiunximus in appendice n. I. et II. Sed nec victrices partes obtinuit sententia Ludouici in causa testamenti Haendeliani, quod, lite plenius exculsa, actisque ad Ordinem ICtorum Ienensium sententiae ferendae causa transmissis, iustum validumque esse pronunciatum est. Sententiam ipsam, iunctis decidendi rationibus, subiicere operae pretium erit.

Aufgehobene Klage, vorgeschützte Exception, und fernere Sätze, Georg Handels und Consorten, Klägers an einem, Joh. Philipp Breythers, und Consorten, Beklagten am anderen Theil, so uns in denen disfalls ergangenen Acten, nebst einer Frage zugeschieket, und darüber unsere Rechts-Belehrung gebethen worden, sprechen wir für Recht: Daß das von Beklagten producirte Testament für beständig billig zu achten: derowegen dieselbe, als Valentini Handels rechtmäßige Erben, von der erhobenen Klage zu entbinden und los zu zehlen. Die von beyden Theilen aufgewendete Kosten aber, werden aus bewegenden Ursachen gegen einander aufgehoben. Von Rechts weg en.

Rationes Decidendi.

Nachdem Beklagte der erhobenen Klage exceptionem testamenti entgegen gesetzt, zu deren Bestärkung, das Testament in originali produciret, Klägere auch sich auf solche Exception, dem Rechtskräftigen Judicato gemäß, eingelassen, kömt es nunmehr hauptsächlich auf die Gültigkeit des Testaments an. Ob nun wohl 1) erwähntes Testament von denen dazugebrauchten Zeugen, bloß auf dem Umschlag, darin es verwahrt gewesen, unterschrieben und besiegelt worden; welchen Umschlag 2) einige Rechtslehrer pro parte testamenti nicht halten, noch daher dergleichen letztere Willens-Verordnung vor gültig achten wollen; Ueberdis 3) der Klägere Vorgeben nach, die Beklagte des Testatoris Person in Händen gehabt, und daher den Umschlag erst nach des Testatoris Tode machen, von den Zeugen unterschreiben, und besiegeln lassen können, gestalt auch 4) ein Verdacht wieder Beklagte daraus zu erwachsen scheint, daß das Testament erst einen Monath nach des Testatoris Tode zum Vorschein kommen: Dennoch aber und dieweil 1) die Rechte einem Testatori gestatten, seinen letzten Willen auf solche Art zu verfassen, und von den Zeugen unterschreiben zu lassen, daß sie von dem eigentlichen Inhalt gar keine Wissenschaft erlangen: Sufficit enim, quod testes in genere sciant, testamentum fieri.

Arg. L. 20 §. 9. D. qui testant. fac. poss.

MARKRECHT, ad §. 3. et 4. Inst. de test. ord. n. 138,

worzu 2) am bequemsten ist, wann der Testator den Zeugen das Testament nicht offen, sondern mit einem Umschlag versiegelt zur

Unterr-

Unterschrift und Besiegelung vorleget, welches auch die Rechte an die Hand geben,

in L. 21. Pr. C. de Testam.

Licere per scripturam conscientibus testamentum, si nullum scire volunt ea, quae in eo scripta sunt, consignatam, vel ligatam vel tantum clausam involutamque proferre scripturam, &c. eamque rogatis testibus &c. offerre signandam et subscribendam.

welchergestalt die Besiegelung und Unterzeichnung des verschlossenen Testaments von den Zeugen anders nicht als auf dem Umschlag geschehen kan, solcherlei Aufschrift auch 3) und die Besiegelung des Umschlages in denen Rechten nirgends verbotnen, noch daß die Zeugen das eingeschlossene Testament unmittelbar unterschreiben und besiegeln solten, verordnet ist, allermassen 4) was aus dem Lege 28. C. de testam. verb si quinque testium literae testatoris scripturae coadunentur &c. disfalls angeführet werden möchte, nach Anzug des vorhergehenden, nicht auf die Coadunation der Unterschriften des Testatoris und Zeugen, sondern auf unitatem actus die Absicht hat; dahero auch die von den Zeugen, auf des eingeschlossenen Testaments Umschlag, geschehene Aufschrift und Besiegelung, mit des Testatoris schriftlicher Verordnung vor vereinbahr zu halten, cum obsignato continente, et contentum obsignatum intelligatur.

BALD. atque CASTRENS. ad l. 22. §. ult. D. qui test. fac. poss.

Also 5) der Umschlag eines eingeseigelten Testaments pro parte des selben folgendes dergleichen Verordnung allerdings vor gültig zu achten.

DAVTH de Testam. ad d. l. 22. §. 71. n. 14.

Hier nächst 6) der Testator, das Testament nicht nur auf allen Seiten eigenhändig unterschrieben und besiegelt, sondern auch auf das Couvert selbst, daß darin sein Testament und letzter Wille enthalten sey, verzeichnet, dem die Zeugen ihre Unterschrift unmittelbar beygefüget, die über dieses 7) bey der Gerichtlichen Apertur, fol. 41. seqq. einstimmig ausgesaget, das damahls, wie sie dasselbe auf des Testatoris Ansuchen als Zeugen unterschrieben, es sich eben also befunden, wie es ihnen bey der Apertur mit des Testatoris Pesehafft zweimahl versiegelt vorgezeiget worden; diesem nach aller gemachte Verdacht hierdurch gänglich hinweg fällt, noch weniger 8) daraus, daß das Testament ante trigelimum nicht zum Vorschein kommen, etwas widriges zu schließen: So ist, wie im Urthel enthalten, und zwar, weil Kläger ein rechtliches Informant von Halle vor sich gehabt, mit Aufhebung der Inkosten, gegen einander billig erkant,

Menf. sept. 1721.

Ordinarius, Decanus, Senior und andere Doctores
der Juristen. Facultæt in der Universität Jena.

XXXVI. LVDOVICI SENTENTIA EXPENDITVR.
AN AB OBSIGNATIONE INVOLVRI AD
SVBSCRIPTIONEM EIVS VALEAT
ARGVMENTVM?

PRINCIPIO illud concedit B. Ludouici in cit. diss. *de inuolucro* §. VII. signa testium inuolucro testamenti imprimi posse; potuisse enim diserte affirmavit Vlpianus (§. XV.): sed testium

ad:

adscriptionem in eodem factam iure Romano esse negat, ab ob-
 signatione ad *hanc* non nisi argumentum a diversis ad diversa
 duci existimans; cum subscriptiones testium sint ex *iure civili*
 signacula vero ex *iure praetorio*, nullibi vero iure civili disposi-
 tum reperitur, quod subscriptiones in involucro testamenti
 fieri possint. Proposita diversitatis ratio ad *originem* subscri-
 ptiones testium, inter testamenti solemnia relatae, pertinet: di-
 versae utriusque origo vero rationem idoneam non continet,
 quominus in quaestione, quo loco et parte testamenti signa et
 nomina testium adponenda sint, ab altera ad alteram argumen-
 temur. Utraque *rationem communem* habet, ut videlicet ex se-
 ptem testium signis nominibusque, testamentum coram legiti-
 mo testium numero ordinatum esse, constet: nam et eo nomi-
 ne *signa testium* in aperiendo testamento *agnoscenda* erant. Quae
 communis utriusque ratio cum aequè per *adscriptionem* testium
 ac *obsignationem* in *involucro testamenti* obtineatur, ab
 obsignatione involucris legibus permittitur probataque ad il-
 lam eo rectius argumentum nequitur, quia et *adscriptio*
testium peractae obsignationis testimonium continet, et testis, se
 adscribens, annotare solebat, *quis et cuius testamentum signaverit*
a). Deinde nec illud dari viro docto potest, testium *adscriptionem*
 in involucro iure civili non permitti. Quod enim 1) iuris
 rationibus convenit, nec iure improbatum est, iure licito fieri
 censetur. Si testatori, quamcunque placeret, ad testamentum
 scribendum usurpare materiam iure civili licuerat (§. II.): du-
 bitari

a) L. 30. D. qui test. fac. poss.

bítari profecto non potest, licuissè et testatori ad testium ob-
 gnationem et subscriptionem quamcunque materiam, scriptioni
 aptam adeoque et inuolucrum destinare, eaque destinatione par-
 tem testamenti facere. Plures rationes supra (§. XIII. XV. XVI.)
 exposuimus, testiumque in inuoluto testamento adscriptionem
 II.) Lege Theodosiana probatam esse euicimus (§. XVII. et seq.)

XXXVII. ARGVMENTVM DE MORE SIGNANDI, ET
 AN MORIBVS NOSTRIS SIGNARE LICEAT
 IN INVOLVRO?

MONET deinde II.) *tabulas ligneas vel cereas inuolucro semper
 opus habuisse, et signacula ipsis tabulis commode imprimi non potuisse,
 et hinc inuolucro impressa esse: nostris vero moribus eiusmodi tabulas
 plane incognitas esse: ideoque a moribus Romanorum ad no-
 stros mores iterum non valere consequentiam.* Verum haec ex iis
 quae de more tabulas ipsas signandi apud Romanos supra (§. X.
 XI.) exposuimus, quantum satis est confutantur. Sane inuo-
 lucra tabularum testamenti non nisi rarius interuenisse videntur,
 et ipse Vlpianus, quando, *signatas tabulas*, inquit, *accipi oportet,
 et si linteo, quo tabulae inuolutae sunt, signa impressa fuerint,*
 quaestionem de qua et an inuolucri obsignatio pro tabularum
 obgnatione habenda esset, dubitari poterat, decidit, ipsas *ta-
 bulas signatas esse existimans, signis licet inuolucro impressis.* Si
 vero *tabulas testamenti*, eodem iudice Vlpiano a), *accipere debe-
 mus omnem materiae figuram siue sint tabulae lignae siue cuiuscunque
 alterius materiae, siue chartae siue membranae sint: (§. II.) ob-
 signatio*

a) L. I. pr. D. de bonor. possess. contra tab.

signatio tabularum in involucro non ad ceratas adstringenda: quod adeo verum est, vt *Theodosii* aetate, qui inuolutam testamenti scripturam testibus signandam subscribendamque offerri posse, sanxit (§. XVIII.), non nisi rarior ceratarum testamenti tabularum vsus esset, ac proinde, quin et ob signatio in testamenti involucro chartaceo moribus nostris iure licito fiat, nec ad maiores, ac apud Romanos, solemnium apices extrema iudicia, vltimam hominis sani voluntatem, adstringere oporteat, ex constitutione Maximilianea, quae Theodosianam repetit, e-
videnter appareat.

XXVIII. L. XXVIII. C. DE TESTAMENT.

EXPLICATA.

MAXIMUM sententia suae argumentum in *L. 28. C. de testam.* positum esse putauit Ludouici a), vbi Iustinianus sanxit: vt si quis sua manu totum testamentum vel codicillum conscripserit, et hoc specialiter in scriptura reposuerit, quod haec sua manu consecit: sufficiat ei totius testamenti scriptura, et non alia subscriptio requiratur neque pro eo ab alio; sed sequantur huiusmodi scripturam et literae testium et omnis, quae expectatur observatio, et sic testamentum validum, et codicillus, si quinque testium literae testatoris scripturae coadunentur, in sua firmitate remaneant, et nemo callidus machinator huiusmodi iniquitatis in posterum inueniatur. Haec in rem suam transfert Ludouici, et; *Notes* hic, inquit, in textu adducto haberi, quod literae testium, (id est subscriptio) et omnis quae expectatur observatio (id est subsignatio, aliud quid enim intelligi nequit,) scri-

a] in cit. diff. §. LX.

scripturam testatoris sequi imo testatoris scripturae coadunari debeat. ergo subscriptio et subsignatio non in inuolacro sed in ipso testamento facienda. Tandem ex hac lege interpretationem Constitutionis Theodosianae in L. 21. C. de test. faciendam esse arbitrat. Excitata Constitutio Iustiniani in hac quaestione, an holographum testamentum a *testatore* praesentibus testibus subscribendum sit, decidenda versatur. Sanxit Imperator eiusmodi subscriptionem non requiri, sed sufficere *totius testamenti scripturam* a testatore factam; modo ad illud perficiendum reliquae interuenerint solemnitates: unde addit: *sed sequantur huiusmodi scripturam*, (per quam non subscriptionem testatoris sed totum testamentum ipsius manu scriptum intelligi, integer nexus verborum et similis praecedens locutio, *totius testamenti scriptura* euincit), *et literae testium et omnis, quae expectatur observatio*, seu, quidquid est testamentariae solemnitatis, hoc est, rogationes testium, signationes, subscriptiones, actusque vnitas. Sensus ergo constitutionis non est, vt post subscriptionem testatoris immediate sequantur vel subiungantur testium subscriptiones: sed vt ad perficiendum holographum testamentum, quod ibi *scriptura testatoris* vocatur, et reliquae testamentariae solemnitates accedant seu sequantur. Quae de testamento holographo sanxerat, idem applicat ad codicillum holographum, *si quinque testium literae testatoris scripturae*, hoc est codicillo ipsius testatoris manu scripto, *coadunentur*. Coadunare literas testium testatoris scripturae, ibi nihil aliud est, quam codicillo nomina testium adscribere. *Locus*, quo subscriptio fieri debeat, non determinatur. Coadunantur ergo et literae testium codicillo, testibus inue-

